



## **Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum**

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum  
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos  
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

**Pichler, Vitus**

**Ingolstadii, 1734**

Quæstio. An iste Civis Sacerdotem personatum & larvatum, ac petulanter  
uxorem ejus divexantem graviter percutiens, incurrerit  
Excommunicationem Canonis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)

exacerbatus & irā plenus civis, tu sacerdos? iste habitus & hi actus tam petulantes non sacerdotem indicant, turco es & trifurcifer, nebulo es & tenebrio, homo es nullius frugi & trivialis: quo dicto adhuc duos vel tres ictus validos suo fustuario infixit, ac dimisit. Postmodum verò rescit, planè sacerdotem fuisse, quem ita dedolaverat, satisque crudeliter, fortè suspicatus eum ve le uxori vim inferre. Proxima igitur die Domini-

ca, ubi peragere volebat confessionem Sacramentalem, perquam tristis & mirè anxius ac animò perturbatus ob suum factum, præsertim quòd, postquam larvatus dixerat se esse sacerdotem, denuo percussit ipsi non credens, sollicitè quævit ex me, an excommunicationem propterea incurrerit. Quid responderim patebit ex statim dicendis, quibus resolvetur hæc

## QUÆSTIO.

*An iste civis sacerdotem personatum & larvatum ac insolenter uxorem ejus divexantem, graviter percutens incurrerit excommunicationem Canonis?*

**C**Ausatimendi, & suspicandi, excommunicatum fuisse, non levis videtur esse. I. quòd in hoc casu omnia ad incurrendam excommunicationem Canonis (sic dictam ob *can. si quis suadente. 29. caus. 17. q. 4.* qui sic habet: *si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, ut in Clericum, vel Monachum, violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat: & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere &c.*) Summo Pontifici reservatam requiruntur à Jure; scilicet *manus violentas* fuerunt injectas per verberationem satis crudelem

& gravem, *suadente diabolo*, hoc est, ex ira, passione, studio vindictæ &c. & quidem *in Clericum*, eumque sacerdotem, qui privilegîo Canonis gaudet, licèt nec beneficium habeat, neque habitum Clericalem deferat, juxta omnes, modò non sit degradatus, vel dimisso habitu non se immisceat enormitatibus, v. g. tyrannidi, seditionibus, latrocinis, assassinis, vel alio modo privatus à Jure non sit privilegîo Canonis prædicti; ergo iste civis tam acerbè percutendo sacerdotem incurrit excommunicationem latæ sententiæ & Pontifici refer-

reservatam. Nec ipsum excusat praesentia ignorantia, partim quia 2. ipse Canon illimitate statuit excommunicationem, & casum ignorantiae non excipit, partim quia 3. quilibet posset praetendere ignorantiam, & sic eludere vim huius Canonis. Partim quia 4. civis adhuc percussit, postquam satis intellexerat, eum, in quem ita saevit, esse sacerdotem. Partim quia 5. ignorantia crassa non excusat ab incurSIONe excommunicationis, per expressum textum in c. *fn. de constit. n. 6.* partim quia 6. iste civis plane non fuit innocens; eod quod deliquerit contra Jus Naturale, quod prohibet omnem percussionem gravem sub peccato gravi, quae est iniuriosa, quae nimirum non fit à Superiore potestatem habente, nec ex necessitate ad defensionem: sed iste civis non fuit Superior huius latrati sacerdotis potestate plectendi praeditus, nec percussio tam gravis fuit necessaria ad defensionem vel propriam vel uxoris, cum neutri vim ille intulerit in vita vel membris vel corpore, nec uxoris pudicitiae. Jam sic: casu quo Ecclesia aliquid prohibet, etiam sub censura, quod Jure Naturali jam est prohibitum, v. g. furtum, homicidium &c. stringit quoque Lex Ecclesiastica idem prohibens sub censura. Palao *tr. 29. d. 1. pu. 8. n. 11.* Hurtad. *de Censur. difficult. 23. n. 10.* ergo civis iste non fuit innocens, sed deliquit graviter sicut contra Jus Naturale, ita & contra Jus

(R. P. Pichler *Decis. T. 2.*)

Ecclesiasticum poenale, & excommunicationem statuens: ergo hanc incurrit. Et hinc 7. Si res delata fuisset ad Episcopum, & constitisset de percussione Clerici, licet percussus allegasset ignorantiam status Clericalis, fuisset praesumptio contra ipsum, & quod culpa non abfuerit, praesertim cum, postquam percussus aperuit se esse sacerdotem, consequenter per sententiam percussus fuisset declaratus incurrisse excommunicationem, & is pro excommunicato se gerere debuisset. gloss. & DD. in c. 1. b. t. in 6. quia sententia Judicis, juste, h. e. secundum allegata & probata procedentis, justa est ac valida, ac sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est. *can. 1. caus. 11. q. 3.* ergo etiam jam ante sententiam, merè declaratoriam, excommunicationem incurrit iste civis percussus Clericum, & pro excommunicato se gerere debuit; quia declaratio non infert, sed supponit excommunicationem. 8. Qui dubitat, an non percutiat Clericum, & tamen percutit non adhibitam prius debitam diligentiam ad cognoscendam veritatem, excommunicationem incurrit, si percussus revera fuit Clericus; quia talis ignorans pro sciente habetur, cum ignorantia sit voluntaria, vincibilis, & culpabilis ac percussus manifesto periculo se exponat percutiendi Clericum, dubiumque praetium non excuset. DD. communiter. Barbosa *in loc. commun. lit. 7.*

\* Hh

n. 4.

n. 4. cum Surdo *decif. 265. n. 62.* Sed iste civis saltem dubitabat, postquam audiit à percusso se sacerdotem esse, an non percutiat Clericum, nec adhibuit diligentiam debitam in veritate inquirenda, quam facile potuisset cognoscere, nisi passio iræ, quæ utique non excusat, ipsum stimulasset & movisset ad pergendum in verberando: ergo. 9. Si quis agat Judæum in die Parasceves, & Christum personatum, quem scit vel suspicatur esse Clericum, graviter percutit ex odio vel passione iræ, qua flagrat in hunc Clericum est excommunicatus, non obstante, quòd hic Clericus in his circumstantiis non repræsentet Clericum exterius eò quòd statui Clericali tamen inferatur injuria: ergo etiam iste Civis est excommunicatus, licet Clericus, quem percussit, præsertim postquam suspicari potuit esse Clericum, in his circumstantiis non repræsentaverit Clericum exterius quoad habitum &c.

Verùm hæc omnia, licet numerò multa, robore tamen infirma, nullatenus me inducere poterant, quò minus civem hunc, summè anxium ac fatis perturbatum, consolarer, & ab omni periculo incurse excommunicationis liberum pronuntiarem, adeoque securum esse quoad hoc juberem, saltem pro foro interno; nam quoad externam agnoscebat non esse periculum, eò quòd nemini

hæcres innotuerit, nisi ipsi sacerdoti percussio, qui metu pœnæ ab Ordinario infligendæ, & infamiæ meritò credebatur altò silentiò omnia occultaturus. Fundamentum principale, & verè solidum, petitur ex ignorantia facti, cum scilicet bonus civis hominem larvâ & Fauni habitu indutum deprehenderit in stabulo cum uxore sua, petulanter agentem & divexantem ad clamores usque, ac nulla ratione vel suspicari potuerit, sub tam turpi larva ac tali vestitu, quem non nisi infima scæ induere, talisque inconvenientes gesticulationes exercere solet, latere sacerdotem; ac, licet verberum satur sacerdotem se esse edixerit, id tamen statim credere percutiens non tenebatur, eò quòd ipsi incredibile videri potuerit, & re vera visum sit ac propterea non crediderit, cum externa omnia longè alium referrent, & nullum Sacerdotii signum apparuerit. Atqui ex communi Doctorum cum Sanch. l. 9. de Matrim. d. 32. n. 41. Palao tr. 29. d. 3. pu. 23. §. 3. n. 4. & Barbosa in can. si quis suadente cit. n. 50. excommunicatio Canonis non incurritur ab eo, qui probabili (necdum certâ) ignorantia laborat, seu probabiliter ignorat, Clericum esse, quem, etiam injuriosè & injustè percutit graviter. Idque desumitur clarè ex c. 4. h. t. ubi excusatur ab excommunicatione percussor Clerici comam nutrientis (à fortiori utique larvati ex habitu Bacchanalicio, & ab hone-

honestate vitæ Clericalis alienissimo induti) quia probabiliter ignorare poterat statum Clericalem, & existimare, Clericum non esse vel sacerdotem. Adde, quòd nulla censura incuratur ab illo, qui laborat ignorantia non crassa & supinâ Juris vel facti. *c. fin. cit.* quia censurae sunt poenae, quæ contemptum legis Ecclesiasticæ saltem virtualem requirunt. La Croix *to. 8. l. 7. n. 47. 93.* cum communi aliorum. Alterum fundamentum minus principale potest esse, quòd excusetur ab excommunicatione, qui percutit Clericum turpiter inventum cum uxore &c. percipientis, licet percutiendo fortè graviter peccet, quia Jus Canonicum partim in derelictionem hujusmodi criminis, partim ob difficultatem cohibendi vindictæ impetum noluit talem percussorem poenâ excommunicationis punire. *c. 3. v. nec illa. t.* & ibi glossa. Navar. *Man. c. 27. n. 84. P. Wiestner b. t. n. 88.* cum Molin. Suar. Laym. Engel &c. Sed iste civis hunc sacerdotem invenit cum uxore in loco secreto, segregato, in stabulo, & quamvis tactus, amplexus, oscula &c. non viderit, tamen expetulantia ibi exercita, divexatione, & aggressionem uxoris in tali loco secreto & ab hominum aspectu multum remoto haud vana potuit marito oriri suspicio, quòd vel præcesserint, aut, si non intervenisset, secuti fuissent ejusmodi insultus & actus impudici, atque ipsa uxor timere potuisset, ac probabiliter timuit, quia ita clama-

vit, ut maritus vel alii sibi succurrerent; quid enim aliud suspicari licuit de homine taliter bacchante & petulante, ac foeminam in loco solitario aggrediente? sicut enim ad defendendam vitam vel membra vel honorem proprium aut alienum opus vel necesse non est expectare, donec aggressor primum ictum faciat, vulnus infligat, facto ipso noceat, sed licitum est prævenire ita etiam, quia peiora timeri poterant, licitum fuit prævenire: propter similem causam concedunt Jura furem nocturnum etiam occidere, quia nescitur, an ad prædandum vel etiam ad occidendum ingressus sit domum. *c. 3. de homicid. l. 4. ff. ad L. Aquil. l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.*

Ad contraria sine negotio *1.* Ad *1.* *Negando Antec.* omnia nempe ad incurrandam excommunicationem à Jure requisita in hoc casu concurrisse; siquidem non fuit manus injecta in Clericum formaliter, hoc est, cum notitia sufficienti, hominem hunc larvatum Clericum esse, & cum peccato sacrilegii formali; nam juxta Canonem *si quis suadente* expressè requiritur peccatum sacrilegii, & quidem formale, cum cognitione status Clericalis; aliàs non percutitur Clericus *suadente diabolo*, & persona sacra solum materialiter læditur. Ad *2.* satis excipitur casus ignorantia tum in *d. can. sacrilegium formale*, tum alibi in Juris textibus peccatum formale & grave in suo genere consummatum requirentibus ad excom-

Hh 2

muni-

municationem incurrendam. Ad 3. Pro foro interno vanè prætenditur ignorantia ab eo, qui, quem percutit vel injuriosè tractat, Clericum esse novit. Pro foro externo frustra prætenditur ignorantia tunc, quando aliunde non redditur verisimilis ignorantia: sed hic utique ignorantia fuit verisimillima; quis enim sub tali larva & veste Clericum latere credat vel suspicetur tantùm. Si dubitaretur, an percutiens probabiliter ignoraverit, juramentò purgatoriò eam probare permittendus foret. Ad 4. Non statim fuit obligatus credere asserenti se esse sacerdotem, cum habitus, gestus, & externa omnia potius tenebrionem trivalem referrent; & hinc pro foro externo civem non credidisse præsumendum foret, & potius metu ulteriorum verberum, quam ex rei veritate, præsumtum fuisse statum sacerdotalem; atque ideo fuit adhuc verisimilis & saltem probabilis ignorantia. Pro foro interno non excusarem percutientem, si revera credidisset asserenti, & percutere nihilominus perrexisset: sed civis constanter affirmabat, se in illo æstu iracundiæ rem non satis examinasse, nec credidisse. Ad 5. Non fuit ignorantia crassa statûs Clericalis, sed verisimillima, vel certa. Ad 6. *N. Ma.* vel *dist.* non fuit innocens, h. e. liber ab omni peccato gravi contra Justitiam, charitatem, vel aliud præceptum Jûris Naturalis commissio. transeat *Ma.* non fuit innocens seu

liber à peccato formali sacrilegii, quod ad incurrendam excommunicationem Canonis requiritur, & à culpa gravi contra Legem Ecclesiasticam pœnalem quâ talem commissio. *N. Ma.* Licet transmittatur (quod tamen alii negant) Legem Ecclesiasticam stringere ignorantem, qui facit aliquid, jam prohibitum Jure Naturali, non tamen stringit quoad pœnam, præsertim si hæc sit censura, nisi sciatur lex Ecclesiastica hanc pœnam statuens, vel si non tali modo delinquat aliquis contra Jus Naturale, quomodo exigit lex Ecclesiastica ad hoc, ut incurratur pœna: sed lex Ecclesiastica exigit ad hoc, ut incurratur excommunicatio Canonis, *sacrilegium* formale, quale noster civis non commisit, cum ignoraverit, saltem probabiliter, personam percussam sacram esse. Ad 7. *N. Antec.* imò & transmissio *Antec. Conseq.* Alleganti ignorantiam tam probabilem debuisset Episcopus credere, saltem mediante juramento eam asserenti. Dein licet per sententiam injustam fuisset declaratum, excommunicationem fuisse incursum, pro foro quidem externo ad vitandum scandalum, atque ut Judici secundum apparentiam justè præcipienti pareatur, debuisset condemnatus se gerere pro excommunicato, pro interno tamen liber fuisset ab omni excommunicatione. Præterea juxta mententia, licet feratur secundum allegata & probata, non est valida; ad hoc enim non.

non sufficit iuste & servato Juris ordine Judicem procedere, sed insuper necesse est, ut iustum decernat aut præcipiat, ac sententia non fundetur in præsumptione falsa & errore particulari. Sententia declaratoria supponit excommunicationem verè vel falsò; esto: semper verè: negatur. In *cit. can. 1. Gregor. Papa non dixit, sententiam iniuste latam servandam esse, sed timendam, id est, ex superbia non contemnendam. Ad 8. transeat Ma. N. Min. vel dist. civis, an non percutiat Clericum, postquam audit esse Clericum, dubitabat verè, prudenter, vel practice & culpabiliter. N. Min. non prudenter, non practice & culpabiliter, ita ut non habuerit rationem probabilem dubitandi nec agnovit vel agnoscere debuerit obligationem inquirendi vel credendi C. Min. § N.*

*Conf. Hic potius procedit regula contraria, quæ dicit, ignoranticomparatur dubius. Surd. decis. 265. cit. n. 17. Ad 9. Antec. non est certum, quia talis percussio Clerici, qui gerit personam Christi à Judæis malè habiti, non videtur esse actio exteriùs graviter peccaminosa in his circumstantiis. N. Conf. § paritatem, quia civem nostrum non excuso exinde, quòd sacerdos percussus non representaverit Clericum exteriùs, sed exindè, quòd propter habitum à sacerdote alienissimum probabiliter ignoraverit esse Clericum, etiam postquam audit à percusso, se Clericum esse. Ille autem Judæus, cum quo instituitur paritas, probè novit, & putat, eum, quem prava intentione percussit, esse Clericum.*



Hh 3

TITU